

3) Eadem doctrinam alii paululum corrigentes dicunt : a) subjectum auctoritatis politicae, in societate primum exoriente, vel etiam in societate funditus perturbata in qua nullum aliud jam aptum caput appareat, determinari titulo praevalentiae exclusivae, seu aptitudinis ad remp. gubernandam, quae huic soli personae, nulli alii sufficienter insit; — b) nec illo titulo subjectum determinari tantum, sed et formaliter indui auctoritate suprema; — c) hanc autem praevalentiam exclusivam tribus maxime elementis constitui : praevalentia intellectus et peritiae, praevalentia voluntatis et moralium qualitatum, ac maxime praepotentia physica et morali tanta, ut illi soli subjecto possibile sit apud socios tantam obtinere efficaciam, ut plerique velint ei obedire eique concurrere ad subjectionem aliorum pervicacium efficiendam.

4) Nos cum antiquis scholasticis concedemus, talem praevalentiam, praesertim si exclusiva sit, esse rationem sufficientem cur tali subjecto summam auctoritatem conferre liceat, vel etiam deceat, vel imo oporteat; sed negamus eam per se solam esse titulum auctoritatis collativum, quo nempe ipso facto auctoritatem summam pleno jure naturali possideat subjectum.

Prob. In societate quae non *immediate* ab ipsa natura oritur et determinate ordinatur, nequit admitti : 1) aliquam personam ab ipsa natura ad auctoritatem esse determinatam, eaque donatam, 2) vim physicam per se solam conferre jus, seu potestatem moralem; — *a.* ad hoc reduceretur theoria de praevalentia, etiam exclusiva; *e.*

Ad maj. 1) Si qua societas (sicut v. e. domestica) ab ipsa natura, sive quoad suam existentiam, sive quoad suam ordinationem constitutivam, determinate oritur, etiam ejusdem varia elementa ab ipsa natura determinantur, et quidem auctoritatis subjectum per ipsam suam capacitatem, variae leges et jura per ipsam aptitudinem ad finem, etc...; si qua vero societas (v. e. civilis) a natura mediate tantum determinatur, tum quoad existentiam (mediate consensu membrorum), tum quoad constitutionem (mediantibus variis factis contingentibus humanis), etiam ejusdem elementa non ab ipsa natura sola sunt determinata et ordinata, sed sunt per easdem causas contingentes determinanda.

2) Si in tali societate vis physica (concretus complexus praevalens) per se solam confert jus imperandi, ipso facto dicendum est jus fortioris esse jus fortius, aliorum juribus praevalens; *a.* sic confunditur ordo physicus cum ordine morali, vel saltem priori posterior subordinatur, ita ut capacitas imperandi pariat jus imperandi; quod absurdum; *e.* — (poterit quidem praevalentia illa subjectum designare cui rationabiliter auctoritas conferri debeat, non vero ipsa jam est auctoritas moralis, neque eam per se confert).

Ad min. Societas civilis, nec quoad suam existentiam nec quoad suam constitutionem, ab ipsa natura per se immediate determinatur ultimo, sicut matrimonialis et paterna societas, sed mediate tantum (cfr. supra : de soc. domest., et de orig. soc. civ.).

Objic. 1° In omnibus rebus superioritas est apud potentiolem, ita ut infirma ab aliis pendeant, minus potentes potentioribus subjiciantur; *e.* — *R. d. ant.* superioritas physica apud potentiolem physice, *c;* superioritas juris (moralis), apud physice potentiolem, *sd.* ubi ipsa etiam constitutio elementorum ultimo determinate a sola natura oriuntur, *c;* secus, *n.*

Objic. 2° Homines naturaliter dispositi sunt ut sponte obediant validiori in omni sphaera activitatis humanae; *e.* — *R. d. ant.* ut sponte obsecudent, *c;* ut sponte agnoscant illi jus imperandi et obligandi inesse, *n;* — *d. cons.* ergo illi jus inest ipso facto ex natura rei, *n;* primum et rationabile est ut illi conferatur jus, *c.*

Objic. 3° Ubi homines tali legi se conformant, omnia prospere cedunt, ubi vero ab ea discedunt, omnia turbantur; *e.* — *R. d. ant.* ex natura rei, *n;* per accidens ex malitia, *sd.* semper, *n;* saepe, *c.* — *d. cons.* ergo praepotenti, qui solus ordinem conservare vel restaurare possit, auctoritas rationabiliter conferri potest, *c;* praepotens usurpator felix ipso facto legitimus est princeps, *n.*

Objic. 4° Per hanc legem observatur relatio quae inter validiores et infirmiores revera existit; *e.* respondet ordini rationis. — *R. d. ant.* observatur relatio quae inter illos est, *n;* ea physica relatio mutatur in moralem, seu confunditur vis cum jure, *c.* — *n. cons.*

Objic. 5° Ordo rationis postulat ut, qui exclusivae aptus est ad regendam societatem exorientem, supremam in ea potestatem exercent; *a.* hunc ordinem lex naturalis sancit; *e.* illi personae confert jura ad potestatem exercendam necessaria. — *R. d. maj.* postulat, i. e. ostendit ratio id bonum fore, *c;* id necessarium fore, *sd.* absolute et imperante lege naturae, *n;* hypothetice : se velint membra societatem conficere, ejusque elementa ordinare ac determinare, *c;* — *d. min.* sancit, i. e. per se imperative societatis vinculum membris imponit, ejusque elementa disponit et ultimo determinat, *n;* inducit inclinative, suasive, ad determinationem faciendam, *c;* — *d. cons.* ipsa lex naturalis confert determinate, *n;* confert generice societati, *c.*

Objic. 6° Teste historia, semper illi qui praepotentia illa exclusiva instruebantur, sponte sua, nec prius expetito multitudinis consensu, principatum arripuerunt, eisque multitudo quasi naturalibus suis superioribus sponte paruit; *e.* — *R. d. ant. 1 part.* non prius explicite expetito, *c;* non rationabiliter praesumentes, implicite practice obtinentes quia tam rationi conforme, *n;* — *d. 2 part.* paruit libenter, et ita implicito consensu legitimum fecit principem, *c;* si quando paruit invita, legitimum aestimavit, *n.*

Objic. 7° Haec praevalentia non quaecumque supponitur, sed exclusiva, in re necessaria; *a.* talis praevalentia non quidem auctoritatem confert tanquam causa efficiens, sed tanquam titulus quo posito jus a lege naturali confertur; *e.* — *R. d. maj. ult. part.* in re necessaria absolute, et ex immediato naturae mandato, *n;* hypothetice : si homines societatem constituere velint suo consensu, *sd.* tunc illa res (munus auctoritatis exercendae) est

determinate ab ipsa natura ortum, *n*; est generice a natura, sed aliunde ultimo determinandum, *c*; — *d. min. ult. part.* tanquam titulus quo solo posito, lex naturae auctoritatem determinate conferat, *n*; quo posito justum ac rationale sit, ut effective conferatur illud jus determinatum, a causa immediata societatis efficiente, *c*.

Objic. 8° Jus fortioris, malo sensu illo injusto, dici nequit potentia exclusiva faciendi aliquid (vel possidendi), quod ab aliis fieri nequit et tamen necessario effici debeat; *e*. — *R. d. ult. part. ant.* quod necessario absolute, et immediate jubente natura, *c*; secus, *n*.

Propositio 153.

Nequit auctoritas civilis dici immediate a Deo conferri illi quem populus mera designatione determinaverit.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem respondent Jacobus I Anglorum rex et protestantici, Bossuet et regalistae gallicani, moderni catholici multi : a) constituta primum societate civili, auctoritas neque in ulla singulari determinata persona habetur (quum desit ratio cur uni potius quam aliis competat), neque in tota multitudine (quae est subjectum incapax auctoritatis gerendae); non ergo habetur nisi absoluta exigentia auctoritatis civilis ;

b) electione sua multitudo nullam potest transferre auctoritatem, quum ipsa nullam habeat; sed determinat tantum subjectum, cui Deus primo et per se immediate communicat auctoritatem. Principis igitur auctoritas est juris divini, etiam quatenus illi determinatae personae insidet ;

c) inde variae regiminis formae ex variis electionibus explicantur. Leges autem fundamentales non ex pacto multitudinis cum principe oriuntur, sed totidem gratuitae principis concessionibus sunt.

d) ergo si princeps leges fundamentales violat, imo si ad extremam tyrannidem devenit, nunquam multitudini contra eum insurgere licet; auctoritas enim ejus a lege fundamentali nec pendet nec limitatur. Aliqui tamen addunt principem teneri servare legem fundamentalem, ac si quid contra eam fecerit aut decreverit, id nullius valoris ac irritum fore ;

2) Nos cum scholasticis antiquioribus concedemus, a multitudine personam eligi et determinari, praesertim in exoriente societate nova; — non tamen, semper per electionem eam designari, nam saepe per factum praecedentis regiminis patriarchalis, saepe per praepotentiam aliquam exclusivam, vel per facinora praeclara ac beneficia omnibus collata, vel per magisterium sive politicum sive oeconomicum sive religiosum, existet designata eminens persona; — sed negamus praeter illa omnia, immediatam a Deo factam auctoritatis collationem requiri, etiam si haec dicatur implicita in complexu illarum designationum, quamdiu immediate a Deo facta intelligitur.

Prob. Talis collatio auctoritatis immediate a Deo facta, deberet fieri per naturalem resultantiam ex designatione hominum, secundum legem aliquam

ex naturali exigentia rei; *a*. ista naturalis exigentia, resultantia, lex, nec sunt nec esse possunt in nostro mundo; *e*.

Ad maj. Ista collatio non fit per ullum actum externum distinctum divinum, quasi supernaturalem revelationem et consecrationem dicas; deberet fieri ex natura rerum et lege exigentiae naturalis; *a*. ita concipi modus executionis nequit, nisi per naturalem resultantiam ex designatione hominum; *e*.

Ad min. 1) Si actus electionis nihil efficiant, nihil producant, nullam mutationem jurium vel relationum inducant, imo nullo modo naturales hominibus sint sed prorsus contingentes illis et liberi ac varii, impossibile est ut sint illi actus cum natura ipsa societatis civilis ita intime connexi, ut ex illis naturali resultantia oriatur nova juris relatio et vinculum; *e*.

2) In ordine naturali, etiam morali et juridico, nulla mutatio naturaliter fieri potest nisi influxu causarum secundarum; immediato vero influxu causae primae inducta mutatio semper dicitur praeternaturalis; — et vicissim actiones humanae semper aliquem influxum exercent, et mutationem aliquam inducunt in ordine suo naturali : physico vel morali; — *a*. collatio auctoritatis naturalis debet esse factum naturale, non praeternaturale; et actus electionis est humanus, naturalis, naturalem producere aliquem verum effectum debet; *e*.

Objic. 1° In Ecclesia auctoritas a Deo immediate confertur personae ab electoribus legitimis designatae; non autem ab iis transfertur; *e*. a pari. — *R. d. ant.* auctoritas supernaturalis confertur supernaturaliter in societate supernaturali, *c*; secus, *n*.

Objic. 2° In societate Hebraica in Vet. Test. idem obtinuit quoad auctoritatem naturalem regis. — *R. d.* in societate mere naturali, *n*; theocratica, *sd.* quoad auctoritatem mere naturalem naturali modo conferendam, *n*; a Deo theocratice regnante ad regem humanum transferendam, *c*.

Objic. 3° Scriptura sacra pluries affirmat auctoritatem omnem esse a Deo, et principes a Deo suam potestatem accipere. — *R. d.* sive mediate sive immediate, *c*; immediate semper, *n*.

Propositio 154.

Absurda est sententia recentiorum, auctoritatis civilis subjectum esse essentialiter et inalienabiliter populi multitudinem.

Stat. quaest. 1) Post J. J. Rousseau multi etiam in ceteris non ejus discipuli, tenent populum esse supremum in societate civili principem, ita ut quidquid contra illud effatum statuatur aut efficiatur, iniquum et nullius valoris sit, vel saltem non nisi per accidens tolerari debeat ad majora mala vitanda. Ideoque entendum esse ut societas ad illas condiciones adducatur, quibus possit exerceri supremitas populi, quum haec ad essentiam societatis civilis pertineat et ab ipsa natura sit instituta.

2) Non negamus omnem populi supremitatem (cfr. prop. seq.), sed nega-

mus eam esse essentialem ita ut nullo unquam modo alienari vel mutari possit.

Prob. Repugnat ens aliquod essentia sua exigere universaliter et immutabiliter, id quod ejus essentiae minus convenit vel imo saepe nocivum est; *a.* populi multitudo plerumque minus apta, saepe prorsus incapax est ad auctoritatem exercendam; *e.*

Prob. min. 1 part. (minus apta). Difficillimum est et plerumque non invenitur: 1) ut omnes cives habeant cognitiones varias ac difficiles, quae ad auctoritatem exercendam requiruntur, — 2) ut unitas voluntatum inveniatur, sive apud omnes, sive etiam apud majorem partem; propter naturalem egoismum et omnimodam studiorum diversitatem, — 3) ut in majoritate (quae raro ex longe maxima parte suffragiorum coalescet), sit sufficiens efficacia ad inclinandas voluntates civium secundum id quod vult majoritas; *e.*

Prob. min. 2 part. (prorsus incapax). Saepe et naturaliter societates civiles coalescunt ex ingentibus multitudinibus; *a.* tunc prorsus impossibile est: 1) ut omnia illa membra cognitiones requisitas habeant ad decernendum circa bonum commune, — 2) ut omnium civium suffragia expetantur ita ut opportune statui possit quid facto opus sit aut expediatur; *e.*

Propositio 155.

In exoriente societate civili, auctoritatis subjectum est natura prius multitudo, a qua natura posterius conferatur auctoritas determinato subjecto ab ea designato; ita ut sit auctoritas mediate a Deo collata, immediate a populo collata et alienata.

Stat. quaest. 1) Ad eandem quaestionem respondent S. Thomas et Scholastici antiqui: a) vi solius naturalis resultantiae, subjectum proximum et primitivum auctoritatis esse totam societatem civilem, cui ab ipso Deo tanquam naturae auctore immediate conferatur; — b) hanc tamen auctoritatem non esse inalienabilem a multitudine; imo addunt plures, propter incapacitatem multitudinis, illam debere transferri in determinatam personam, sive singularem sive collectivam; — c) fieri posse ut per aliquod tempus maneat auctoritas formaliter in multitudine, ac tempore posterius transferatur, per ejus electionem et consensum, in personam determinatam; — d) sed fieri etiam posse, et saepe fieri, ut ex factis contingentibus statim ab initio designata sit aliqua persona determinata, in quam, non tempore sed natura posterius, transferatur auctoritas per consensum omnium saltem implicitum et practicum.

2) Ergo differt haec sententia a praecedente, nam dicit Rousseau: a) auctoritatem etiam abstracte sumptam derivari a libero contractu, b) concreto sumptam esse inalienabilem, et indelegabiliter in populo residere, c) posse a populo pro lubitu formam regiminiis mutari, et principem deponi, d) auctoritatem nullo modo, nec abstracte nec concrete, nec mediate nec imme-

diante, esse a Deo, sed sub omni respectu a solis membris societatis; — haec negant Scholastici et contraria docent.

Prob. Auctoritas, utpote elementum essentialia, forma ipsa societatis civilis, nequit ab ista abesse, ne primo initio quidem, sed adest momento natura primo constitutae societatis; *a.* hoc momento natura primo non residet in particulari determinata aliqua persona (sive haec physice sive moraliter una sit); *e.* ex natura rei tunc competit toti multitudini, quae eam postea alicui conferat.

Prob. min. In nova oriente primo societate civili, auctoritas alicui subjecto collata est:

aut non a Deo, sed a solo contractu hominum, non alienabilis — — 1
aut a Deo mediate, mediante multitudine conferente, et alienabilis ab ea 2
aut a Deo immediate:

{ personae a multitudine per electionem designatae — — — — 3
{ personae facto aliquo accidentali designatae: praepotenti — — 4
{ personae ab ipsa natura designatae: patriarchae — — — — 5

a. nec 1, nec 3, nec 4, nec 5; — *e.* solum 2.

Ad conseq. 1) Quae cam conferat: quia ipsa multitudo plerumque inepta vel incapax erit ad exercitium auctoritatis.

2) **Quae postea conferat:** quia prius (saltem natura prius) est, per communem consensum convenire ad unum finem, et societatem constituere (i. e. jam et materiam, multitudinem, et formam, auctoritatem qua efficax et una sit tendentia in finem, componere), quam modum tendendi et regiminiis varietatem ac proinde subjectum auctoritatis determinare.

Objic. 1° Videtur hoc systema praesupponere statum naturae et contractum socialem de quibus J. J. Rousseau. — *R. n.* (supponit distinctionem essentialem inter societatem civilem et domesticam; inter jus fortioris et jus fortius; inter opus immediatum naturae et opus naturae mediante facto contingente et libero).

Objic. 2° Supponit hoc systema auctoritatem primitus aliquando fuisse penes totam multitudinem; *a.* haec fictio est ab historia non comprobata; *e.* — *R. d. maj.* primitus, i. e. natura prius, *c.*; tempore prius, *sd.* semper, *n.*; aliquando forsitan, *c.* — *n. supp. min.* (de primis initiis nulla historia nota est, sed probabilis conjectura est variis modis varios populos esse primo ortos; quaerimus autem nunc non de adjunctis et occasionibus sed de natura auctoritatis).

Objic. 3° In exoriente societate est quidem in multitudine, i. e. in ipsa societate, ex natura rei auctoritas abstracte considerata; sed quaeritur hic de auctoritate concrete sumpta prout in subjecto inhaeret; *a.* apud scholasticos ab ordine abstracto concluditur ad ordinem concretum; *e.* — *R. d. maj. 1 part.* inest abstracte sumpta, i. e. essentialis forma societatis, inalienabilis a societate, sed et concrete sumpta, i. e. aliquo determinato modo auctoritas existit, sed mutabili modo, alienabilis a subjecto uno ad aliud, multitudine ad principem vel senatum, etc..., *c.*; secus, *n.* — *c. 2 part.* — *e. d. min.*

Objic. 4° Auctoritas illa abstracte sumpta quae in multitudine ex natura rei inest, non vera auctoritas, principium unitatis est, sed potius est exigentia verae auctoritatis; *a.* id quod ita exigitur tanquam principium unitatis, est auctoritatis concreta in aliquo subjecto; *e.* — *R. d. maj.* quamdiu consideratur multitudo ut nondum socialis, sed ut parata in actu primo ad societatem efficiendam, *c;* si consideratur ut jam actu secundo societas facta, *n;* vel *sd.* potest auctoritas ratione magis minus adaequate considerari, *c;* est objective inadaequate existens, *n.*

Objic. 5° Fieri nequit ut a Deo immediate conferatur ex natura rei auctoritas subjecto, a quo exerceri nequeat; *a.* multitudo auctoritatem exercere nequit propter incapacitatem; *e.* — *R. 1) d. maj.* positivo actu distincto Dei conferatur, *tr;* implicito, per cursum naturalem rerum, *sd.* subjecto a quo essentialiter nunquam possit exerceri, *c;* ordinario difficilius, vel vix sufficienter propter incapacitatem accidentalem, frequentem, *n;* — *c. d. min.* — *R. 2) d. maj.* conferatur tanquam possessio transitoria, germen futurae evolutionis, *n;* tanquam possessio definitiva et tamen inutilis, *c.* — *c. d. min.* nequit exercere, perpetuo sibi retinens, et per seipsam executionem procurans, *tr;* nequit exercere auctoritatem secundum concreta adjuncta, concreto aliquo modo determinans personam, eique determinatam auctoritatem conferens, *n.*

Objic. 6° Videtur hoc systema favere democraticis turbationibus, dum docet multitudini inesse auctoritatem ex natura rei, nec nisi ab ejus consensu reges accepisse potestatem. — *R. d.* si doceret eam multitudini inesse inalienabiliter, nec reges esse nisi ejusdem legatos, *c;* si alienabiliter, ita ut reges jam plene eam possideant, *sd.* poterit mala fide vel ignorantia in malum torqueri, *c;* secus, *n.*

Objic. 7° Scholastici semper et ubique ex sociorum consensu dicunt transferri auctoritatem ad determinatam personam; *a.* in hoc errabant; *e.* sapientius recentiores plures titulos agnoscunt varios pro adjunctorum varietate, v. c. praepotentiam, paternitatem, electionem, etc. — *R. d. maj.* semper ex consensu tanquam ex causa proxima efficiente (et quidem eo sive explicito sive implicito practico), *c;* tanquam ex unica causa, v. c. conditionali vel occasionali, *n.* — *c. d. min.* — *n. cons.* (agnoscunt eos titulos tanquam proxime efficientes, ac proinde confundunt varios ordines).

Objic. 8° Multitudo dum actu transferret auctoritatem alicui personae, illam aut formaliter habebat antea, aut non; — *a.* si prius: actum sociale exercet antequam caput sociale habeat, quod repugnat; — si posterius, dat quod non habet, et quidem actu non sociali sed collectione actuum privatorum; *e.* — *R. c. maj.* (habebat). — *n. 1 part. min.* (nondum erat caput sociale distinctum a membris reliquis, sed erat caput, i. e. auctoritatis subjectum, identicum cum membris omnibus; quod minime repugnat, nam caput hic metaphorice dicitur).

ARTICULUS 3.

De transmissione et amissione auctoritatis.

Propositio 156.

Regimen successionis electivae legitimum esse potest, habetque prae regimine successionis hereditariae nonnulla commoda.

Stat. quaest. Quaestio agitari incipit, quibus modis possit legitime ab uno subjecto ad alterum transferri auctoritas suprema civilis. Et primo de electione novi principis post mortem prioris, vel post tempus eidem ab initio praefixum.

Notiones. 1) Sub hoc regimine, electores in coetum uniti aliis in aliis societatibus juribus donantur, quae jura lege fundamentali determinantur. In genere sunt: a) vel collegia praedita *sola facultate eligendi*, ac nihil aliud possunt, nisi praecedentis principis successorem designare, qui eadem auctoritate qua ille polleat; — b) vel collegia *constituendi facultate* praedita, quae licite possint ipsam regiminis formam immutare, et novi superioris auctoritatem vel restringere vel extendere, immutatis scilicet legibus fundamentalibus.

2) Quando electio fit *a toto populo*, eo ipso penes ipsum semper est jus constituendi. — At ordinario periculosus est hujus facultatis usus, nam legum fundamentalium immutationes stabilitati societatis multum nocent. Unde nonnisi ob gravissimas rationes faciendae sunt.

Prob. 1^a pars (*potest legitimum esse*). Multitudo societatem initio constituens consensu suo, etiam consensu principem auctoritate donavit; *a.* hunc consensum potuit conditionatum dare, ita nempe ut vel aliquo determinato tempore, vel etiam tota vita princeps auctoritatem retineat, sed ejus successor nec per generationem naturalem nec alio modo ullo designetur quam per electionem certi alicujus collegii ad hoc deputati, vel totius etiam communitatis; *e.*

Ad min. Non quidem potuit consensum aliqua conditione limitare quae ipsi essentiae societatis, vel necessariae tendentiae communi ad finem communem repugnaret; sed quoties illis conditio non repugnaret, ea potuit consensui apponi; *a.* minime illis praedicta conditio repugnat; *e.*

Prob. 2^a pars (*nonnulla commoda*). Sub regimine electivo: 1) rarius accidere potest ut potestas deveniat penes subjectum valde ineptum; — 2) rarius deficiet successor aptus, ac proinde stabilior erit ordo successio- num, atque ipsius societatis constitutio independens; *e.*

Ad antec. 1 (*rarius ineptum*). Ad obtinendum majoris electorum partis suffragium, fere semper plurimum valent dotes quaedam ad remp. gerendam valde utiles, v. c. perspicacia, robur animi et constantia voluntatis cum studio proposita consilia ad exitum deducendi; — in hereditatis lege ad ea qualitates attendi non potest.

2) (*stabilior ordo*). Inter multitudinem eligibilium raro fieri potest ut nullus mereatur eligi; ac proinde raro necesse erit ex aliis gentibus aliquem adire vel ordinem successionis usitatum mutare; — sub hereditatis lege facile et saepe fit ut dynastiarum familia extinguatur, et vel ad longinquiores cognatos, natione et moribus alienos ab hac societate, auctoritas transferatur, vel alia dynastia eligenda, vel etiam variis competitoribus videatur jure arripienda auctoritas; ac ita minor stabilitas institutionum et morum sperari possit.

Propositio 157.

Regimen successionis hereditariae legitimum esse potest, habetque prae regimine successionis electivae nonnulla commoda.

Notiones 1) Alius modus transferendae auctoritatis supremae est per viam hereditatis; cujus varium esse potest exercitium, v. c. : a) ita ut omnes filii ejusdem principis paternum regnum inter se dividant, atque ita ipsa societas civilis in plures societates dividatur; — b) vel ut paternum regnum indivisum successive occupent; — c) vel ut solus natus major filius pro patre succedat, exclusis aliis quoties filium pater relinquit; — d) aliquando soli mares imperio succedere possunt, aliquando nulla datur alicui sexui prae altero praevalentia.

2) Nostro tempore multi hoc regimen impetunt tanquam minus aptum ad finem societatis, aliqui tanquam ineptum et illegitimum.

Prob. 1^a pars (*legitimum*). Primi socii societatem primum efformantes, et auctoritatem conferentes, potuerunt aliquam conditionem apponere, dummodo haec non impediret finem et naturam societatis; a. talis est conditio regni hereditarii; e.

Ad min. Nihil obstat fini et naturae societatis, quod pro defuncto patre statim succedat filius in eandem auctoritatem eodem fere modo exercendam.

Prob. 2^a pars (*commoda*). Sub hoc regimine : 1) rarius et difficilius societas in tyrannos incidit, — 2) saepius et facilius principes habebit apta eruditione ac educatione paratos, et probos, — 3) melius internam pacem et tranquillitatem conservabit; e.

Ad antec. 1 part. (rarius in tyrannos). Qui summum imperium electione obtinet, nec jus habet illud posteris hereditate transferendi, tentationi, nisi valde probus fuerit, obnoxius erit posthabendi bonum commune sociale bono proprio, et secundum hoc tempore gubernandi, quae definitio tyranni est; — qui vero principatum tenet cum jure illum in propria familia conservandi, is plerumque propriam utilitatem connexam cum recta reip. administratione habet; e.

Ad 2 part. (facilius paratos et probos). Auctoritatis heres solet a puero ad illam bene gerendam totus praeparari eruditione et educatione; — princeps vero electus saepe non item, sed potius saepe mediis parum honestis ad

electionem suam perveniens, paratus est ad propria potius quam publica emolumenta quaerenda.

Ad 3 part. (internam pacem). Electiones, excitatis competitorum ambitionumque studiis, et factionum machinationibus, internam pacem frequenter perturbant, ipsiusque societatis conservationem in periculum adducit, teste experientia historiae; — heredis vero successio sine ulla commotione natura sua locum obtinet; e.

Objic. 1^o Sub regimine electivo aptissimi, i. e. melius parati magisque probi, ex natura rei promoventur ordinario, vel fere semper; e. nec frequentiores erunt tyranni, nec imparati vel improbi — R. d. ant. ex natura rei, i. e. si et electores semper idonei ad aptitudines dijudicandas essent, ac simul probi ad suffragium ex solo boni publici intuitu ferendum, et competitors semper probi ac potestatem solius prosperitatis socialis desiderio cupientes, c; i. e. in natura humana sicut nunc concrete est, n.

Objic. 2^o Sub regimine electivo licitum, imo solitum est, ut omnes probissimi et aptissimi, sive per se sponte ambient, sive saltem a notis et amicis proponantur; a. ita digniores saepius saltem ad principatum eveherentur; e. — R. n. maj. (saepissime e contra probissimi et aptissimi, artes et media ad electionem obtinendam, multitudinisque gratiam captandam, respicientes, malunt pacifici et obscuri vivere).

Objic. 3^o Saltem si electio paucioribus electoribus committitur, qui ex ipso suo parium ordine aliquem eligant, melior quisque erit satis cognitus ac commendatus, et sine turbis multave agitatione promovebitur. — R. d. si electores nulla nisi boni publici cupidine agerent semper, c; secus, n. (is eligetur qui minoribus dotibus alios non offuscet, qui majore aetate minoribusque viribus spem relinquat brevius successori locum cedendi, qui ambitioso alicui magis faveat eique plura permittat).

Propositio 158.

Translatio imperii, jure victoriae facta, potest aliquando legitima esse.

Prob. Fieri potest 1) ut ab hoste victore bellum juste susceptum sit, 2) ut ad tranquillitatem gentis victricis et aliarum finitimarum, necesse sit fieri mutationem regiminis, ac populo victo inferri jacturam independentiae; — a. tunc licitum erit victori illam gentem sibi (vel alii) subdere; e.

Ad min. 1) Si injustum esset bellum, potestatis occupatio latrocinio esset comparanda, et invasor non princeps sed usurpator esset; — 2) si necesse non esset, justitia laederetur, nam per bellum justum non aliud intendere licet invasori, quam damnorum reparationem, ordinis ac pacis confirmationem; — 3) si vero justum est bellum, et necessaria victae gentis submitio: evidenter legitimum est quod ad finem societatis necessarium est; imo necessitas mensura ejus erit quod licitum sit.